



Novum regimen Islandiae

In Islandia novum regimen constitutum est, quod ex democraticis socialibus et sinistro-prasinis constat.

Johanna Sigurdardottir, ministra primaria, celeria consilia proposuit, quibus patria ex crisi oeconomica salvaretur. Epistula, tribus moderatoribus argentariae Islandiae centralis missa, petivit, ut quam primum fieri posset, munus deponerent. Actiones regiminis, ut ait Sigurdardottir, in novis valoribus socialibus fundabuntur et programma eius oeconomicum ex illo pacto componetur, quod cum Fundo Monetario Internationali (IMF) factum est. Pristinum Islandiae regimen discedere coactum est, cum cives propter oeconomiam Islandiae in ruinas redactam in viis urbis Reykjavik reclamitare non desisterent.

Kyrillus XVI patriarcha omnis Russiae

Kyrillus (Kirill), sextus decimus patriarcha Moscuae et omnis Russiae Kalendis Februariis inthronizatus est.

Caerimoniis sollemnibus in ecclesia Christi Salvatoris Moscuensi factis intererant circiter quattuor milia hospitem, qui Graece conclamabant : « Axios, axios, axios », significantes Kyrillum dignum esse, qui patriarcha fieret. Aderant praesidens Dimitri Medvedev et primus minister Vladimir Putin. « Speramus fore », ait praesidens Medvedev inter caerimonias, «ut hoc eventu novum fundamentum dialogi plenioris inter ecclesiam Russiae orthodoxam et civitatem creetur. » Kyrillus fuit antea metropolita Smolenscae et Kaliningradi. Cum praedecessor eius Alexius II mense Decembri mortuus esset, die vicesimo septimo mensis Ianuarii creatus est, qui centum sexaginta quinque milionibus orthodoxorum tam in Russia quam extra fines eius praeesset. Constat Kyrillum erga oecumeniam et ecclesiam catholicam praedecessore Alexio moderatiorem esse.

Obama copias ex Iraquia in patriam revocabit

Praesidens Barack Obama dixit se maiorem partem copiarum ex Iraquia intra unum annum in patriam revocaturum esse.

Inter ambitionem praesidentialem pollicitus erat omnes copias intra sedecim menses revocatum iri. Laudabat comitia Iraquianorum provincialia, sine violentia facta, quae ostenderent illos ad securitatem ipsorum tutandam iam paratiores esse.

Difficultates oeconomicae in Asia gravescunt

Crisis oeconomica globalis etiam nationes Asiae in magnas difficultates induxit. In Sinis, Iaponia aliisque terris Asiae oeconomia magnam partem in exportatione mercium nititur.

Postquam USA et Europa in recessionem delatae sunt, petitio et importatio mercium Asiaticarum apud tam Americanos quam Europaeos corrui. Magistratus Sinenses nuntiaverunt viginti miliones operariorum propter quaestus inopiam ex urbibus in rura revertisse. Adhuc uno mense ante numerus opere destitutorum sex miliones esse aestimabatur. Panasonic Iaponiensium rettulit se viginti septem officinis clausis quindecim milia operariorum ante Kalendas Apriles dimissuram esse. Similia societates Iaponicae NEC, Hitachi, Sony nuntiaverunt.